

**Dissertatio de pestiferae contagionis natura & remediis, eidem
praeventivae idoneis / [Richard Mead].**

Contributors

Mead, Richard, 1673-1754

Publication/Creation

'Juxta exemplar Hagae-Comitum : Apud I. Vaillant, MDCCXXI' [after 1721]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tnr9kv3e>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



R R
d
32

C
a.17

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark

MEAD, R.

65586/A

RICHARD MEAD, M.D.
Collegii Medicorum Londin. & Regiæ
Societatis Socii,


DISSE^TRATI^O
DE
PESTIFERÆ CON-
TAGIONIS
MENATURA & REMEDIIS,
eidem prævertendæ
idoneis.



juxta Exemplar

HAGÆ-COMITUM,


Apud ISAACUM VAILLANT,
M. DCC. XXI.



三

ЛЮБОВЬ ОТАЯЛА МА
ЛЮБОВЬ ГРАДА
МАЯКИ
ЯСНОСТЬ

Digitized by srujanika@gmail.com



HONORATO ADMODUM
JACOBO CRAGGS,
ARMIGERO;
REGI à SECRETIS:

S. P. D.

RICHARDUS MEAD.

Ibi, *VIR PRÆSTANTISSIME*, submissè offero,
quæ prævertendâ peste co-
gitata tuo jussu conscripsi.
Ubi primùm mihi nunciässes, *Vicariis*
illusterrimis absente Rege constitutis ad
communem salutem necessarium videri,
ut idonea traderentur præcepta, qui-
bis pestis inter Gallos sæviens à nobis

averteretur ; hoc munere promptissime quantum per brevissimum tempus & meas occupationes licuit , suscepto ; summa magis cautionis adhibendae capita , quam ordinatam præceptionum seriem proposui.

Primum , in quo de Quadragesimis agendis differitur , consuetudini aliis regionibus probatae consentire , additis quibusdam novis præscriptiōnibus , intelliges facile , qui sis in Europæ historiâ familiariter versatus . Proximum , de Contagione hic supprimendâ , licet à disciplinâ antè apud nos & vulgo apud exterōs receptâ longè recedat , haud tamen dubito , quin ad rationem proximè accedere repe riatur .

Percupio sanè , ut viæ super horum primo prudentissimæ à Magistratu & initæ & ineundæ traditas de postremo præceptiones inutiles reddant : nihilominus expedit nobis in promtu semper esse arma hosti tam formidabili propulsando utilia .

Hoc,

*Hoc , oro , specimen æqui boni-
que facias ; tanquam è multis unum
illius , quam semper in patriam contuli-
sti , curæ exemplar , publicumque ma-
ximæ , quâ te colo , obseruantie te-
stimonium. Vale.*

*Septimo Calendas Decembres ,
Anno M. DCC. XX.*

Hunc de Peste Tractatum
in usum suorum popularium Anglice conscripsit Author Clarissimus : cuius hanc interpretationem Latinam qualemcunque publicare vifum est ; ut Continentis Incolæ ab Insularibus Britannis communia adversus malum, quod hi ab illis sibi metuunt, habeant remedia. Quod versionem spectat, cautum fuit, ut, si minus Authoris elegantiā assequi licuerit , ab ejus tamen sensu non recederetur. Vale ; & tam opportuno beneficio, memor cui referas acceptum, fruere.



PARS PRIOR.
DE
CONTAGIONIS
NATURA.

T de ratione viæ cu-
juscunque ineundæ, qua
contagiosorum morbo-
rum propagationi occur-
ratur, melius constet; nonnihil opor-
tet de *Contagione*, & quo operetur
modo, generatim præfari.

Contagionem spargunt causæ tres,
Aër, *Morbida Corpora*, & *Merces*
ex infectis plagis con vedæ.

Inquirendum igitur, primùm;
quali mutatione *Aër* possit infici:

A 4 deinde,

deinde, quo pacto *alia corpora* noxiæ
suæ qualitatis *participet*.

Antiquissimis optimisque rei medi-
cæ Scriptoribus, qui regionem his
malis nostrâ magis obnoxiam inco-
luerunt, observatum fuit, ex aeris
constitutione, * febribus pestiferis
præivisse calidos æstus pluviis assiduis
& ventis australibus conjunctos: **
unusque illorum speciatim notat, ex
nullo alio, quām humido calidoque
aëris temperamento pestilentiam ori-
ri; & pro ejusdem temperamenti
continuatione morbum aut invale-
scere aut remitti.

Suffragatur huic observationi natu-
ralis multarum regionum historia;
in *** Africa videlicet, si quando
fervidis Julii Augustique caloribus
imbres intercidant, insequitur statim
pestilentia; quam quicumque con-
ceperit, vix evadit.

Præ-

* Vide Hippocrat. Epidem. lib. 3.

** Galen. de temperament. l. 1. c. 4. & comment. in
Epidem. l. 3.

*** Vide J. Lcon. Histor. Afric. l. 1.

Præterea temporum omnium experientia nos docet, stagnantium æstuante cœlo aquarum fœtorem, putridas terræ exhalationes, ac præ omnibus aliis inhumatorum cadaverum tabem morborum pestilentium causam fuisse.

Hinc liquet hoc morborum genus fieri ex causarum concursu; quas opus est non solum conspirare, sed vim suam ad quoddam tempus unâ intendere. Quod quoties accidit, incipit aër aliquantum stagnare; vitium postea facit & putrorem.

Ideo hæc illis plerumque regionibus imminet calamitas; ubi haud modò æstus fervent quam maximè, & cœli tempestas in eodem statu perdurat; sed venti (quorum flatibus aër perpurgatur) rarius quam in terris borealibus vices alternant.

Morbi profectò pestiferi in orientalibus australibüsque mundi partibus nasci potissimum videntur; indè in frigidiores per commercia transmitti. Nec facile putem, ullam in hac in-

fula pestiferam gravioris momenti luem unquam extitisse , quæ non ad nos ab exteris locis infectis migraverit.

Hoc et magis adducor ut commorem , quod per vulgata & à viris magni nominis tradita opinio percrebuerit , pestem semel singulis triginta vel quadraginta annis ad nos recurrere solitam : quod purum putum est figmentum , nulla ratione aut experientia nixum ; ergoque inanum hujusmodi timorum nodis animi hominum exolvendi sunt.

Contrà , licet plurimos hoc genus morbi incursus senserimus , sæpe tamen compertum est mala ad nos foris advehi contagia , quorum malignitatem minuit aëris nostri natura ad tales recipiendas impressiones minimè apta.

Morbum istum , nomine olim *Sudoris Anglici & Febris Ephemeræ Britannicæ* (quod hinc oriundus vulgo crederetur) notum , probabile est omnino peregrinum fuisse , nil nempe aliud

aliud, quām pestem, cuius violētiam mitior cœli nostri temperies imminuerat.

Hunc enim ferunt * Historici anno primū 1485°. hic sœviisse; coortum inter milites quibuscum Henricus VII. à Gallia Cambriam appulerat; in Galliam autem, triennio antè vel quadriennio, à Rhodo, cùm eam Turcæ obsidione premerent, demigrâsse. Ab illo tempore nos affixerunt quatuor ejusdem morbi reciprocationes; quarum priores binas annis 1527. & 1528. valde suspicemur pesti tunc in Italiâ, ** Florentiæ maximè & Neapoli, grassanti deberi; binas posteriores à lue quâdam Turcicâ derivatas credibile est. Morbum autem hunc lubet vocare Pestilentiam vi imminutâ, quod eam comitentur illius generis, quamvis in remissiore gradu, symptomata; qualia sunt *gravis languor, & inquietudo, internus ardor, cephalalgia, delirium*

* Vide Caium de Febre Ephemerâ Britannicâ.

** Vide Rondinelli contagio in Firenze, & Summonte Histor. di Napoli.

*linium &c. profusi ad hæc sudores : nec horas viginti excedebat morbus ; qui licet plurimi ob incuriam & malam tractationem eo obierint , nihilominus , observante sapiente & perito * Historico , videbatur potius naturam inopinam opprimere , quam obstinate remediis oblidari : æger enim , qui cordiacis temperatis forebatur , plerumque convalescebat.*

Nostro argumento major ut fiat fides ; Septembri circiter anni 1713. consimilis quædam febris nos infestavit , à Dunkirkâ , unde nostri milites eam secum hoc transtulerant , nomen fortita . Illuc quidem malignior , cum diarrhœa , vomitu &c. scilicet à morbo forsan pestilenti , qui paulò antè Dantisci & Hamburgi eruperat , originem dicens ; nobiscum verò lenius agebat , à cephalalgia incipiens , & facillimè , ægro die uno non amplius decumbente , decedens .

Quoniam in quolibet aëre , major est alio tempore , alio minor ad morbum

* Lord Verulam's *Histori of. Henry VII.*

bum proclivitas ; graviorem aliquando experti sumus calamitatis hujus inclemenciam ; postremum vide- licet anno 1665. quo , intrá decem circiter menses , tercentum sex supra nonaginta septem millia hominum in hâc civitate absumpsit : Sed * censem- bant plerique contagionem cum gos- sipo ab oris Turcicis ad nostras im- portatam ; quódque longior ejus fuerit mora , possumus , nec injuriâ , causari rem ab illis , quibus infecto- rum locorum curam publica manda- verat authoritas , (sicut deinceps de- clarabo) infeliciter gestam.

Quin pestis illius , anno 1349. quâ nulla unquam acerbior & capitalior his mundi partibus incubuit , historia dilucidè probat istorum , quibus Eu- ropa vexatur , malorum principium ab Asiâ repeti oportere. ** Illa enim pestis apud Sinenses anno 1346. con- cepta , per Indias orientales in Sy- riam , Turciam , Ægyptum , Græciam , Afri-

* Vide Hodges de Peste.

** Vide Histor. Flórent. di Matteo Villani.

Africam &c. penetravit ; 1347. quibusdam naviis ab Orientis in Siciliam, Pisas, Genoam &c. advepta est ; 1348. transivit ad Sabaudiam, Provinciam, Delphinatum, Catalonia, Castiliam &c. 1349. occupavit Angliam, Scotiam, Hiberniam, & Belgium ; moxque Germaniam, Hungariam & Daniam ; strage passim incredibili relinquens tristissima suæ sævitiae monumenta.

Sed redeo ad ulteriorem aëris, de cuius putrorem facientis statu verba feci, contemplationem. Arbitror id observatu dignum, quod *putrefactio* sit *fermentatio* quædam, quodque corpora omnia fermentata emitant volatilem agilémque spiritum; agitandi, & aliorum, in quæ fese insinuat, fluidorum naturam motibus intestinis mutandi potestate præditum.

Haud difficulter ex optimâ Febrrium * Theoriâ ostenderem, quæ mutationes in sanguine hōc modo fa-

* Vide Bellin. de Febris,

Etæ corpus morbis hisce& pestiferis subjiciant, nisi nimia foret à proposito digressio.

Hactenus de *primo*, qui fit ad contagionem, gradu: *proximus* ut se habere mihi videtur, jam aperiam. Sanguis in omnibus malignis, maximè pestiferis, febribus ejicit, instar liquorum fermentantium, decedente morbo, magnam agilium particularum copiam in singulas corporis, oris præsertim, cutisque, unde secretiones naturâ fiunt crebriores & uberiores, glandulas. Hæ, in casibus pestiferis, quanquam aër insalubris non fuerit, plerumque proximos ægro assidentes inficiunt; alioquin, citò disperguntur, & paulatim evanescent. Quum verò, in insalubri aëris proclivitate, subtilibus, quas produxit illius corruptio, particulis fortè incident; iisdem simul coalitæ, vim mobiliorem & dominantiorem, nec non diuturniorem colligunt: materiamque gignunt virulentam, quæ possit longè procul ab ægro, quo

nata

nata est, corpore malum foras pro-
jicere.

Id intelligent, quibus innotescunt
attractiones miræ coitionésque ex vo-
latilibus spiritibus factæ; maximè si
cogitaverint, quām facile omnigena
per calidum, qualem contagiosum
esse notavimus, aërem diffundantur
effluvia; porrò vi quantâ cuncta pe-
netrent partes succorum animalium
tenuissimæ: cuius specimen exhibet
odor membra è gangrænâ emortui in
corpore adhuc vivente teterimus.

Nullus est dubitandi locus, quin
tabifica aëris conditio contagiosis illis
atomis solidam suam vim necessariò
addat: quo nisi concessio, qui pestem
putes unquam, loco semel occupato,
priùs cessaturam, quām cunctos in-
colas aboleverit? quod non ægre sol-
vetur, si posueris aërem in salubrio-
rem, quo dissipari & reprimi queat
malignitas, statum restitui posse.

Ex aliâ parte appareat illam tabem
non ab ipso, qualicunque priùs ha-
bitudine fuerit, aëre contrahi; nisi
con-

concurrat quiddam ab infectis corporibus emissum : nam si omnis ad infecta loca aditus viciniæ omnino intercludatur , illius propagatio poterit inhiberi ; quum aura levissima , quicquid noxium in aëre solo residet , in longinquum necessariò propellat . Recens hujus experimentum dedit funesta nunc in vicino regno pestilentia : quæ , dispositis ubique vigiliis , diu intrà Massiliam à confiniis coercebatur ; donec tandem aliquot , elusis adituum custodibus , morbum secum exportarent : comperimus nihilominus eâdem diligentia adhuc cautum esse , ne fines præscriptos transcederet.

Sic morbida generantur effluvia : quâ autem viâ ad sanos injuria permanent , aperiendum est . Contagiosæ illæ particulæ , unâ cum aëre , quem ducimus , extrinsecus insinuatæ , succos in suo transitu salivales inficiunt ; qui in stomachum demersi , ibidem suum virus infigunt ; unde *nausea* & *vomitus* , prima sæpe morbi impressione in

sionem facientis indicia : quamvis non negem sanguinem etiam nocivis , quæ ei in pulmonibus inspirando immiscentur , particulis propriis affici .

Tertia , quâ contagionem spargi diximus , via , sunt *merces ex infectis locis confectæ* . Hæc ad explanandum visa est adeò difficilis , ut authores nonnulli commenti sint *infectorum ova* , quæ ab alio loco ad aliud delata , & demum erupta morbum faciunt . Hâc autem hypothesi , quæ nullâ observatione fulcitur , nil opus est . Si , ut conjectavimus , contagionis materies sit agilis substantia , satis forsan naturæ non absimilis , ex humani præsertim corporis corruptione genita : facile est percipere , quomodo eadem in mollibus , porosis corporibus , arctè densèque simul compressis , locari possit & conservari .

Neminem latet , quâm diu suum odorem servent suffimenta , si idoneis involucris amiciantur : quodque

que est maximè insigne ; illorum fragrantissima , instar hujus (de quâ agimus) materiæ , sint succi præfertim animales , *moschus* putà , *zibethum* &c. aptissimæque iisdem conservandis substantiæ sint ipsæ etiam ad contagionem accipiendam & communicandam peridoneæ ; quales *pelles* , *plumæ* , *serica* , *pili* , *vellera* , *gossipium* , *linum* &c. quorum pleraque ex animali genere : quod ad veram natu- ram contagionis cognoscendam non parum conducit.

Ex antedictis , ut reor , sequitur planissimè , Pestem esse merum venenum ; quod in orientalibus aut australibus mundi partibus congenitum sese alit , circuitu quodam ab infectis corporibus in merces commigrando ; re interea tanti momenti per indigenarum stupidam indiligentiam neglegitâ : pestem item , quoties morbo favet aëris proclivitas , violentiâ tunc effrænatâ ac præcipiti furere ; illo præcipue tempore morbum ægris invicem mutuo communicari : con-

tagiosam materiem latere in laxæ
mollisque texturæ mercibus reconditi-
tam ; quæ confortæ & in alias re-
giones comportatæ , semina conta-
gionis in se conclusa , quæ aperiendo
datur exitus , evibrant : aërem deni-
que longè hæc diffundere & spargere
non posse , si accessu ad infectum lo-
cum , & omnibus cum eo com-
merciis severissimè in-
terdicatur.

CONGRATULACIONES





PARS POSTERIOR
DE
REMEDIIS
CONTAGIONI
PRÆVERTENDÆ IDONEIS.

Noste, quod pestis non sit nobis conterranea, maximum uti solatum, ita non minus est accuratissimæ in inveniendis, quibus à tanto malo nos tueamur, *remediis* diligentiæ incitamentum.

Cautio hæc est duplex; prima, ne in nostram insulam advebatur; proxima, ne forte advecta latius spargatur.

Adversus horum malorum primum cavetur instituta naves ab inferis regionibus advenientes ad *Quadragesimalem stationem agendam* compellendi consuetudine: quae ut profit, necessaria quædam tradere præcepta aggrediar.

Prope singulos portus, locis convenientibus, parvis (si fieri possit) insulis exstruantur *Valetudinaria*; quibus cum homines tum merces à plagiis super contagione suspectis redeuntes accipientur. Neque enim sufficit viros in navi dies quadraginta conclusos detinuisse; nec quidem expedit, nisi ut, qui ex illis mortem obeant, observetur. Quippe lues in vestibus, quibus semel infedit, potest tam diu servari, ut hujus non minus, imò plus, (modò morbus in navi sèvire pergit) post exactos, quam ante inceptos dies quadraginta, in littus introducatur: nisi quoties quis moritur, recens ineatur *Quadragesima*; cui fortè nil, præterquam omnium in navi hominum interitus, finem imponat. Si-

Siquam contagionem navis contra-
xerit ; sanorum , vestibus in ignem
conjectis , eluantur & radantur cor-
pora ; ipsi alias vestes induti in va-
letudinarium relegentur triginta ibi
vel quadraginta dies commoraturi.
Nam æger potest ex morbo ipse con-
valescere , necnon tamen aliquid con-
tagiosæ materiæ secum , longo pòst
temporis intervallo , retinere : quod
frequens in variolis , quas sani ab
ægris multos jam dies morbi furo-
rem eluctatis sæpe recipiunt.

Ægri qui fuerint , à sanis seorsim
in hospitiis remotis secludantur ; ali-
quantò post redditam sanitatem , la-
ventur , tondeantur ; vestes alias , con-
crematis quascunque ægrotantes ges-
serunt , induant ; dein ad hospitia
sanorum transferantur , ibidem pari-
ter triginta vel quadraginta dies re-
cludendi.

De vestibus ægrorum consumen-
dis impensè sum sollicitus ; quippe
quæ ipsum totius contagionis subti-
lissimum & expressum virus imbi-

bunt & continent. * Scriptor inge-
niosissimus in sua eleganti peſtis , qua
anno 1348°. Florentia laboravit , de-
scriptione refert , suis testibus oculis ,
duos porcos , cùm laceros pauperis
cujusdam morbo sublati pannos in vi-
cum projectos rostris follicantibus ex-
cussissent , dentibúsque laniassent , ner-
vis statim convulsis , hora minus ex-
pirasse.

Si navim nullus invaserit morbus ,
non est , cur agatur Quadragesima .
Velim tamen homines lavari ; vesteſ
(tanquam merces) aëri pervias in va-
letudinario per septimanam expur-
gari .

Sed maximum est periculum à mer-
cibus ad luem retinendam aptis ; qua-
lia ſunt *goffipium* , *cannabis* , *linum* ,
chartacea , & *serica omnia* , *lintea* , *lana* ,
plumæ , *pili* & cuncta *pellium* genera .
His reſitorioſ ab ægrorum valetu-
dinariis procul affiſſentur conve-
nientia ; in quibus explicentur sarcinæ

* Boccaccio Decameron. Giornat. prim.

næ resolutæ ; aëri per quadraginta dies , quantum licet , exponendæ.

Nimium fortè longum tempus hoc videbitur. Sed nescientibus , quantum præcisè spatii opus sit ad expurgandum sub puro & aperto aëre omne illud virus , quod in raris tenuibüsque spongiosarum rerum foramini- bus reconditur , nulla cautio est nimia ; nisi posset , salva hominum vita , explorari , quota temporis parte omnes ex noxiis corporibus eventientur fumi ; si ad hæc admoveantur animalia tenera , aut aviculæ super mercibus expositis imponantur. Observatum est enim aves à locis infestis avolasse , alias in caveis conclusas obiisse. Sed quantum hoc inventum juvet , unica docebit experientia : neque enim ignoro , omnia animantium genera omni pestilentiae genere haud æquè affici ; contrà suum plurimis esse peculiarem morbum : qualis , paucis abhinc annis , bubus venit , alienigenis animantibus hominibusve minimè nocens , pestilitas.

Pro concessso habeo , parum profuturum merces in receptacula sua reposuisse , nî priùs , solutis ligamini-
bus , explicitur . Id confirmat tri-
ste , quod ante quinque circiter lustra
Bermudæ accidisse ab erudito docto-
re *Halleio* accepi , infortunium : ubi
gossipii clàm in portum invecti fac-
cus , in domo quadam per mensem
totum sinè ullo cujusquam incom-
modo absconditus , ubi publicè di-
vendi cœperit , tantam intulit incolis
perniciem , ut vivi mortuis humandis
vix pares essent .

Sanè , quum crebrò expertum sit ,
in nullis mercibus magis , quàm gossipio , hospitari contagionem , Turciám-
que quoddam esse perpetuum pesti-
lentiæ seminarium ; non possum non
æquissimum putare , ut quicquid il-
lic gossipii allatum fuerit , expurgan-
dum per quadragesimale spatiū tem-
poris reservetur ; ne forsitan inter col-
ligandum constringendūmque aliqua
tabe fuerit imbutum , quamvis hanc
in navi nemo perceperit .

Non

Non tantum oportet studiose ac diligenter curare sanos ægrósque quadragesimam agentes, sed etiam ejusdem observantiam pœnis gravissimis fancire. Navem itaque à loco, ubi, cùm è portu solveret, pestis solito violentior sæviebat, reversam, unà ipsam cum toto ipsius onere comburi certissima erit securitas.

Maximè etiam insuper cavendum, ne in negotiatione cum loco, ubi pestis hyeme appetente desævierit, permittendâ præpropera sit & periculosa celeritas. Sæpe quippe deprehensum, hyemis rigore morbum suppressi, nec tamen ejus semina prorsus deperire, sed obtorpere tantisper, dum tepidi veris accessu excitata novam vitam vimque recipiunt. Sic cùm acerba illa pestis Genoæ, annis abhinc sexaginta, per biennii partem grassaretur; æstate primâ decem millia hominum circiter, hyeme proximâ vix ullus, æstate autem alterâ non pauciores sexaginta millibus perierunt.

* Ul.

* Ultima pariter Londini pestis autumno annum 1665^m præcedente coorta, per astrigissimum hyemis gelu trimestre intermissa, nullum sui indicium ante ver sequens edidit. Si itaque merces ex loco, unde exportantur, latens aliquod venenum retinuerint; metui poterit, ne idem in loco, quod convehuntur, pariant malum, quod in illo, à quo devehuntur, pereffissent.

At in primis pernecessarium est, furtivam bonorum invectionem legibus asperrimis coercere: à quâ nefariâ molitione magis, quàm aliâ qualibet causâ, instat morbum ex Galliâ ad nos traducendi periculum.

Hæc, ut puto, summa sunt rerum in peregrino morbo à nobis depellendo observandarum capita: quorum partes singulæ, scilicet navium visitatio, valetudiniorum disciplina &c. ut rectè peragantur, administris ei negotio designatis, haud absque peritorum medicorum auxilio, curandum relinquo.

Proxi-

* Hodges de Peste.

Proximum est, quid agendum sit, providere ; si, "curâ publicâ per administrorum negligentiam aliámve causam minùs succedente, illa ad nos usque perveniat calamitas."

Aliud nullibi occurrit infortunium, in quo magis intersit *Principiis obstatre* : fato tamen nescio quo factum est, ut, quam olim vulgo inibant, huic malo medendi ratio adversus illud prudens consilium ex contrario pugnaret.

Cùm in aliquo peculiari loco pestis semper erumpat, proprium magistratus munus est, id agendum præscribere, quo singulis familiis persuasissimum sit, ex usu suo, si suam calamitatem indicaverint, haud minùs fore, ac si ardentibus teatris uti opem ferant, vicinis inclamaverint. Contrà verò omnes, quas hactenus solenne fuit persequi, viæ speciem severæ potius disciplinæ & supplicii, quam clementiæ & incurationis habuerunt : quæ causa erat, cur ægri morbum, quoad poterant, celarent.

Tunc

Tunc maximè præcipi solebat, ut
quamcunque domum morbus occu-
pâset, protinus occlusa servaretur;
limen ingenti rubrâ cruce, verbisque
tristibus, *Miserere Domine*, signare-
tur; die nocteque pro portis excuba-
rent, qui exitu aditûque arcerent
cunctos, exceptis (quibus per autho-
ritatem licuit) medicis, chirurgis,
apothecariis, nutricibus, exploratri-
cibus &c. * Hæc omnia ad mensem
saltæ, postquam tota familia interi-
isset aut convaluisset, continuanda.

Non facile quis animo comprehen-
dat ullum lugubrius hâc ærumnarum
gravissimarum scenâ spectaculum: fa-
milias morbo, quo nullus opem ma-
gîs & solatium postulat, insolabiliter
conflictantes; à cunctis necessitudi-
nibus seclusas & obseratas; in huma-
næ nutricum, quales in hujusmodi
casibus inter ægros versantur, immi-
tium tractationi relietas; oculis qua-
rum

* Vide *Directions for the cure of the plague, by the col-
lege of Physicians; and orders by the Lord Mayor and Al-
dermen of London, published 1665.*

rum nihil objicitur , nisi tristissimus mortis omnia circa se populantis undique progressus ; quibus omnes penè deploratæ vitæ spes considerunt , & siquæ supersint adhuc perexiguæ labantibus animis , anxietate distrahuntur ; dubiis , annon præstet emori , quām languens ævum trahere , lachrymosis amicorum charissimorum dulciūmque consanguineorum funeribus superstites .

Si metus , desperatio , & defectio animorum corpus accipiendæ contagioni habile , & hanc , ubi accipitur , potentissimam , ex omnium medicorum consensu , faciat ; non video , quā magis viâ , quām hâc tractatione , morbus ingravescat .

Nihil huic immanni barbaræque consuetudini prætendi potest , nisi quòd per eam in commune consultatur , & à progressu lues arceatur . At si , ut res se habeat , attentius perspiciamus , intelligemus contrà quām prætenditur , prorsus evenire . Nam dum lues in domo conclusa nutrica-
tur ,

tur , & sumptis in dies augminibus adolefecit , non fieri potest , ut aër contagia non statim accipiat ; & , patentibus fenestrīs &c. per domos primūm , deinde per vicos continuet . Ædes ita obthuratæ sunt totidem contagionis citius aut seriùs foras diffundendæ seminaria . Per menstruam enim vel longiorem ab ægri , qui ultimus occubuit , obitu moram nihilo plus ages , quām si mercium infestarum fascis servetur resoluta . Pandoræ pyxide reclusa , evolabit venenum .

Quemadmodum his viis institerunt , qui veram contagionis naturam ignorabant ; ita sanè eadem , ut mihi firmissimum videtur , ad pestem huic urbi diutius prorogandam per magnum momentum habuerunt : & nullus dubito , quin aliis æquè regionibus nocuerint .

Haud igitur miremur multas adversus hanc injustam consuetudinem factas expostulationes : quæ quoties ægris aliquam relaxationem impetrabant , statim subsequebatur notabilis morbi

morbi remissio. Pestis, anno 1636°, initium fuit violentissimum: verūm ægris per authoritatem regiam facta domibus egrediendi copia *, vix unus ex viginti, qui sani egressi sunt, in morbum delapsus; ex ægris decem vix unus mortuus est. Quod unum, si nihil aliud, ab ægrorum arctiore custodiâ magistratum deterrere debuisset. Præterea peste proximè præcedente, anno 1625°, habemus alterum morbi, postquam domos occludere cessavissent, decrescentis exemplum. Anno quidem id factum est adeò vergente, ut proximæ hyemis accessus ad morbi diminutionem procul dubio plurimum contulerit: hæc tamen diminutio fuit tanta, ut nemo causam dicat, quin libertas tum data nullam huic morbam aut impedimentum intulerit. ** Nam in eunte Septembri libertas domos apriendi permitta: &, quum ultimâ Augusti hebdomadâ non pauciores quatuor millibus, bis centum & octodecim obierint, alterâ proximè in sequen-

C. 2. 3. 1. te

* Discourse upon the Air, by Tho. Cock.

** Vide The shutting up of houses soberly debated an. 1665.

te funerum numerus ad tria millia tercentum & quadraginta quatuor, mox tempore non quatuor hebdomadis amplius interje^to ad octingenta quinquaginta duo recidit.

Quoniam ergo ex veteribus illis & vulgo usurpati rationibus nulla est, cum ad inveniendam contagionis originem, tum ad viam inventae intercludendam, utilitas; *aliæ* sunt de novo instituendæ, quales exponere nunc aggrediar.

Inquirendi per parœcias, quo morbo singuli obierint, officium penes *anus ignarus* esse minimè convenit: quod potius deferendum est ad *viros graves*, firmo judicio & diligentí prudentiâ præditos; quorum esset, quoscunque insolenti mortis genere correptos cum *maculis* in corpore *lividis*, *bubonibus*, aut *carbunculis* defunctos aliquando deprehendissent, nunciare confitim magistratibus; qui peritos illico medicos ad circumiacentes, præsertim pauperiorum, apud quos prima frequentissimè mali hujus labes, domos obeun-

obeundas mittant ; &, si renunciaverint pestilentiam inter incolas coortam , omnium, quæ morbo tentantur familiarum migrationem imperent ; ægri sanique, tribus vel quatuor extra urbem milliaribus , ad diversa traducantur hospitia ; sani suis omnibus vestibus exuti lavent, radantur, antequam nova domicilia ingredi liceat.

Cum ægris, quantâ potis est, *commissatione & curâ* agendum; ad quos jam in ædibus puris & sereniori cœlo expositis collocatos accessus erit, adhibitâ justâ cautione, non admodum periculosus. Sumptus omnes necessarios publicum suppeditet ærarium : nec quantavis pecuniæ ad calamitatum fuhestissimam ab universâ gente procul avertendam erogatæ impensa comodis communibus invideatur. Neq; mihi omnino injustum apparet, ut præmium ferat primus erumpentis in ullo loco contagionis index : si enim mali notitia iis, quibus idonea remedia provisa sunt, detur, hunc quasi primum præcipuumque gradum atque

aditum, ad idem superandum, jactum
nemo non intelligit.

Post infirmarum familiarum egressum, tota harum domestica supellex, imò & domus ipsæ, si fieri convenienter possit flamnis consumantur. Postea etiam æquum fuerit advigilare, ut quicquid alere vel propagare contagionem queat, amoveatur. Pauperum itaque publicis curatoribus (aliis quoque eosdem comitantibus administris) invisenda sunt humilia tenuioris plebis *gurgustia*: de pluribus, quos tectis spurcis & angustioribus coarctatos repererint, exempti quidam ad commodiora mittantur domicilia: oportet denique omni operâ, hortatu & incitamentis eniti, ut mundius & salubriùs habitent.

Inter omnia pietatis officia nullum magis sibi merces, quàm istiusmodi charitas: quantivis igitur constet, nullum reputandum est dispendium; cùm ratio id maximè suadeat. Nil enim ad primam contagionis originem tam propè accedit, atque aër circumseptus, vaporibus humidis crassus, & turpi,
qui

qui ex animalibus corporibus oritur,
rancore obsitus.

*Custodiæ nostræ publicæ dant grave
hujus rei argumentum : in quibus
paucissimi se tueri possunt à carcerariâ
quâdam febri, quam malignitatis gra-
dus, consentaneâ loci angustiis & fæto-
ri proportione, semper comitatur. Sa-
pientissimè profectò ageretur à magi-
stratu, (si & urbis saluti & detentorum
in custodiis conditioni misericordiâ di-
gnissimæ aliquà consultum esse velit)
ut custodiæ illæ omnes, quantum
usus, ad quem destinatæ fuerunt, pa-
tietur, mundæ sint, & auris vitalibus
suscipiendis accommodatæ.*

Memoriâ nunquam excidet * *Ater*
ille, quem vocant, *Confessus*, in Oxo-
nienſi arce anno 1577° habitus : quo ju-
dices, generosos, cunctosque penè qui
aderant, numero trecentos, afflatu pe-
stifero interemit subitaneus vapor :
quem terra, ut quidam arbitrati sunt,
exhalaverat ; sed potius, nobili ma-
gnoque ** philosopho rectius sentien-

* Camden. Annal. Regin. Elizab.

** Verulam. Natural. Histor. cent. 10. Num. 914.

te, secum è carcere ad forum attule-
fant rei ; quibus solis hanc labem non
nocuisse observatum est.

Eodem, quo illa habetur *domorum*
cura, tempore iis, quorum munus est,
strictè dentur mandata ; videant, ut
eluantur *vici*, & à sordibus, carni-
búsque morticinis omnique rerum
quoquo modo noxiarum colluvione,
noctu asportandis, mundentur ; nec
ulla sint propriùs urbem *sterquilinia*.

Mendici & errores otiosi coérceantur:
qui que *visu deformes* ac *miserabiles* ne-
que in ptochotrophia nec in ergaste-
ria admitti possunt, ad *Hospitium Infa-*
nabilium eam ob causam extruendum
relegentur.

Hujus quidem generis præcepta
omni tempestate necessariò sunt ob-
servanda, præsertim in *municipiis ma-*
gnâ hominum frequentiâ stipatis : ægre
igitur fero esse, cur meritissimò que-
rar politicam hac in parte Londini &
Westmonasterii desiderari discipli-
nam: unde maxima multimodis quo-
tidie civibus & proceribus fit injuria.

Si quæ ut maturè agantur , cauto
opus esse præmonuimus , irrita non
fuerint ; minimè necessarium erit ad-
invenire , quibus artibus *aëris intem-
peries sanetur , purgentur domus , homi-
nes à contagione defendantur* : ad quas
si pestis eò creverit , ut infirmi præ
numero removeri nequeant , confu-
giendum.

Primò ; *aëri insalubri ignem mederi*
posse uno ore consentiunt antiqui &
recentes ; ut in oppidis infectis crebri
& multi ignes accendantur , hortati.
Sic fertur * Hippocrates Græciam
pestis ei ab Æthiopiâ imminentis pe-
rictilo liberâsse. Et certum scio , non-
nullas aëris affectiones vitiosas , qua-
les scilicet ex gravi terrarum aspiratio-
ne & exhalationibus oriuntur , igne
corrigi , & quicquid in illo ad virus à
causis hisce derivandum proclive an-
tea fuerat , tolli posse. Verùm post-
quam morbus initium sumpsit , &
jam rabiem collegit ; cùm notum sit
eundem æstatis ardore spargi & auge-
ri , contrà hyemis frigore reprimi ;

C 4

sine

* Galen. de Theriac. cap. 16.

sinè ullâ dubitatione , quodcunque hunc ardorem promovet , tantundem virium morbo addere necesse est . An ignium in aliis aliquibus aëris qualitatibus temperandis utilitas compenset incommoda exinde suboritura ; controversiam hanc unica experientia potest dirimere : & fatales , quos ultimo pestis tempore experimenta habuerunt , exitus ulteriora hujus generis conamina satìs supérque dissuadent : * nam ignibus per omnes vi- cos totum triduum imperatis , nocte unâ in sequente non pauciores quatuor millibus obierunt , cùm , singulis prioribus vel posterioribus septimanis , non multò ter amplius hōc numero elati fuissent.

Quod de ignibus dictum est , idem de tormentis explodendis (quod quidam nimis inconsultè & temere suaserunt) intelligendum . Recta est aëris temperaturæ medendi via , quâ purgatur & refrigeratur . ** Arabes itaque medici , qui morborum pestilen-

* Hodges de Peste . pag . 24 .

** Rhazes de re medicâ , lib . 10 . c . 16 .

tium naturam optimè perspectam ha-
buerunt, ad ædes, quas aër subire pu-
rior & auræ benigniores perflare pos-
sent, habitandas suos hortabantur.

Domos, ut refrigerentur, *purgandas*
existimaverunt ; ideoque herbis refri-
gerantibus, *rosis* putà, *violis*, *nymphæis*
&c. sternendas ; & (quo nil ad rem
propositam conducibilius) *aqua acetó*-
que eluendas : refragantibus nihilominus
ævi recentioris Authoribus, qui
bus placet, calidis medicamentis, nem-
pe *benzoino*, *thure*, *asâ fætidâ*, *storace*
&c. suffumigari ; quæ minimè speran-
dum est ut aut materiem contagionis,
aut locorum habitudinem ad eam reci-
piendam (quæ duo sunt hic unicè at-
tendenda) tollant. *Sulphuri* solius fu-
mus, quem acido spiritu abundare pe-
netrantissimo & ad fermentationes re-
primendas valentissimo compertum
est, alicui fortè emolumento hic esse
possit. Sed majoris est ponderis obser-
vare, quod nihil contagionem citius,
quam spurcities, adducat ; & fuget,
quam munditia : qua propter paupe-

riores hujus generis infortuniis ma-
xime sunt obnoxii.

A domorum purgatione ad *incola-
rum valetudinem* conservandam trans-
eo: cui quò effienter provideretur,
necessarium esset corporis humores in
eo, qui materiâ contagionis everti ne-
queat, statu stabilire. Quia autem id
æquè desperandum est, ac speciale ad-
versus variolas antidotum: ad suum
curare oportebit eam corporis tempe-
rationem obtinendam, ut ei, quam mi-
nimè poterit, noceatur. *Primum* est,
incolumem valetudinis statum tueri;
quem si retineamus, minima nobis
metuenda erit extrinsecus injuria: &
corpus evacuando non infirmare. *Pro-
ximum*; omnem animi abjectionem, &
affectus immoderatos, per quos ad fre-
quentiorem variolarum contagionem
viam aperiri quotidie cernimus, de-
clinare: quod ut fiat, cibis robustis &
salubribus temperatè utendum; à je-
juniis, vigiliis, nimiâ lassitudine &c. ab-
stinendum. *Alia* defensionis ratio est,
ut, quibus remediis expedit, ab inflam-
matio-

matione sanguis cohibeatur: id, si min-
nus ad contagionem penitus depellen-
dam sufficiat, ejus saltem effectum &
vim impotentiorem reddet. Auxilia
ad id efficacissima, ex Arabum medi-
corum consilio, *acidi fructus* frequen-
tissimè sumpti, qualia *malogranata*, *au-
rantia Hispalensis*, *limones*, *acerba poma*
&c. Ante omnia, *aceti* subinde *vinacei*
aliquantulum, stomacho acceptius fa-
ctum, infusis quæ aceti acrimoniam
temperantes &, quicquid aliàs stomacho
aliquà officiat, amoventes mul-
tùm proficient, *gentianâ* videlicet, aut
galangâ, *zedoariâ*, *baccis juniperinis* &c.
Sed hæc aliaque omnia aromatica ca-
lidæ naturæ pharmaca, authoribus,
quantumvis commendatissima, si sola su-
mantur, sanguinem nimis calefaciendo
nocitura fore verisimillimum mihi vi-
detur.

* Quum verò harum viarum nulla
certum polliceatur præsidium; uti loci
infecti *fuga* præsentissimum reme-
dium, ita huic proximum est, quanta
possit adhiberi, cautio, ne ad ægros,
aut

aut qui nuperimè convaluerunt, pro-
pius accedatur. Tum valde erit & con-
sultissimum magnam hominum fre-
quentiam devitare: imò maximè in-
teresset, à magistratu inutilia omnia
conventicula inhiberi, omnesque, qui
ex morbo evaserunt, prodire antè in
publicum, quām domi aliquandiu se
continuerint, vetari.

Monitum de propiore ad ægros ac-
cessucavendo, debet etiam intelligi de
cavendâ *cadaverum viciniâ*; quæ, in-
terjecto, quām longò licet, à domibus
intervallo sepelienda sunt, altè hu-
manda, & diligentissimè contegenda:
noctu efferenda, dum adhuc q re-
centia nondum computruerunt; cada-
ver enim putrorem nondum nactum,
si à diurno calore abstineatur, vix sumi
aliquid aut vaporis emittit.

Qui ægris operam suam ministrare
necesse habent, nonnulla præterea
præcepta, hæc maximè duo, obser-
vanda sunt: *unum*, ut, dum ægris af-
fident, *salivam* suam non sorbeant, sed
expuant; *alterum*, ut, quandiu iis pro-
utrumq[ue] iherat atq[ue] absit iupiores
jlo.

piores esse contigerit, *animam ne quidem ducant.* Utrumque supradicta de morbi ab ægro ad sanum transeuntis modo confirmant. Horum præceptorum, si constans observatio difficilior fuerit, vicem spongia aceto madida & naribus admota poterit aliquatenus præstare.

Hæc est eorum summa, quibus reor morbi, ubi introductus fuit, progressum sisti posse: quorum siqua Londonum potissimum spectent, aliis itidem locis minimâ mutatione servient. Restat nunc, ut, quo pacto *morbi ab oppido alio ad aliud transitus claudatur*, proponamus. Optima id assequendi ratio, ubi licet, *oppidum infectum æquâ undique distantiâ certis terminis circumscribere*; custodibus additis, ut ne cuiquam nisi statutis conditiōnibus in astricto liberum sit oppida circumjacentia adire; non autem omnibus, oblatâ nullâ quâvis conditiōne, egrediendi potestatem *adimere*: qui mos vulgo apud exterros receptus, & in Galliâ nunc servatus, severitatis nequaquam necessariæ, ne dicām cru- deli-

desitatis, speciem habet. Sufficiet, ut puto, si omnibus egredi cupientibus, acceptâ prius viginti circiter dies in tentoriis aliisve magis accommodis habitationibus agendi lege, exitus pateat. Sed cura maxima debet huc intendi, ne quis, nisi peracto quicquid illa lege constitutum fuerit, exeat: cum disponendo ubique diligenter vigilias, tum pœnas gravissimas repetendo ab iis, qui permisso nullo aut egressi sunt, aut egredi conantur. Quos ut deprehendere facilius sit, ab omnibus, qui in quacunque regni parte iter faciunt, literæ requirantur publicâ authoritate munitæ, quibus certum fiat, aut eos à locis contagionis expertibus venire, aut eis limites egredi permisum fuisse.

Sic longè melius, ne contagio spargatur, fore prospectum credo, quam si omnibus nulla egrediendi conditio proponeretur. Cum enim instanti mortis periculo homines versentur, multi sanè fugam meditabuntur, si libera non detur, vel quanticunque constiterit, clandestinam. Nec potest aliter evenire, quin suus quibusdam succedat conatus; quod in Galliâ videntur, invitâ diligentissimâ observatione, accidisse. Ab uno autem, qui clam se proripuerit, magis timenda est contagio, quam à viginti, qui datis legibus parentes egrediendi veniam impetraverunt: potissimum quia hac tractatione contagio loci, à quo fugit, fiet multò intensior. Quippe ingens hominum multitudo in angu-

angustiores unius loci limites coacta morbo fu-
renti vim auctam, suprà quām facile cogitari
queat, adjicet. Cujus exemplum insigne
* Gassendus in sua pestis, quæ Diniam in Provin-
cia, ubi habitabat, per æstatem anni M. DC.
XXIX. depopulata est, narratione nobis subje-
cit. „ Cùm antea, *inquit*, ad usque decies „
mille numerarentur, vix enumerari sub mali „
finem plures quām quingenti supra mille po- „
tuerunt; & ex tanto numero vix quinque „
aut sex fuerunt, qui morbo affecti haud fui- „
sent. Causa præcipua, cur labes tantopere gra- „
sata fuerit, ipsa fuit interpretatio nimis rigida „
placiti illius, quo fuit à Parlamento cautum, „
idque sub pœna capitis, ne quis Diniensium „
incolarum ex urbe aut agro territoriove pro- „
prio exiret. Cùm verò alia pestis post ses- „
quiannum obreperet, discessere cives & ma- „
turiūs & longiūs; ac illa non plures, quām „
centum, perierunt. „

His adductus rationibus credo inveniri non
posse viam ad impetum contagionis supprimen-
dum aptiorem & erga ægros humaniorem, quām
dandam ex infecto loco (necessaria interim cau-
tione adhibitâ) egrediendi facultatem. Ac
quamvis hominibus ea concedatur libertas, ne-
mini tamen fas sit ullum *mercium*, quarum ma-
teria contagionis capax est & retinens, genus
extra limites constitutos transportare. Eo enim

* Notitia Ecclesiæ Diniensis.

tempore, quo aliquam partem regionis invasit lues multò impensiore curâ, ne semina pestifera spargantur, obnitendum est, quâm cùm longiore adhuc spatio morbus à nobis distet: nam merces, quæ in Turcia locisve aliis remotis contagiosam, dum sarcinabantur, auram combiberunt, possunt apud nos evolutæ ex salubriore aëris nostri temperamento hoc consequi, ut minùs noceant. Ubi autem aér in unâ urbium nostrarum aliquâ adeò impurus fuerit, ut pestilentiam foveat ac propaget, vix sperandum est eundem in cæteris puriorem fore.

Ob eandem rationem severior Quadragesimærum observatio imperanda est, si pestis in oris confinibus, quâm si in remotioribus sœviat.

Præcipuis regionis adversus pestem defendendæ capitibus pertractatis; id addam *solum*, quòd, si propositum de mercibus *comburendis* consilium molestum nimis aut incommodum videatur, eas æquè profuerit *in terram* sex pedes aut amplius *defodisse*.

Ex his, quæ de *Contagionis naturâ*, quâ præcepta antè data nituntur, dicta sunt, initi potest certior *sanationis* ratio, quâm quas vulgo authores docuerunt. Sed præsentis instituti non est id ulteriùs prosequi.

F I N I S.

